





BIBLIOTEKA  
Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII 1.436









THOMAE  
SEGHETI  
BRITANNI,  
Idyllia duo.



C R A C O V I Æ,

In officina Andreæ Petricouij, Typ: S. R. M.

Anno cl cxi.

*Ad Illustrem virum,*

# DAVIDEM RIQVIVM

*Eq: Hierosolymitanum, omni virtute  
ornatissimum, εὐεργέτην.*

Ianus adeſt. festae poſcunt ſua dona Kalendae.

Atque aliis alij ditia dona dabunt.

Tulusus R I Q V I nostros, meditataq; ad Albim

Inque † malo tecum carmina monte cape.

Fortè dabunt meliora alij, ſed nemo priorem

Se ſtudio nobis officioque feret.

Te duce Sauromatas ego ſpecto : te duce noſtra

Ora hominum ſpectent ludicra. Viue, Vale.

*Meritiſimo tuo tuus*

THOMAS SEGHETVS  
Britannus.

Cracouiae, Kalendis Ianuariis.

ccl cxi.

XVII - 1436 - II

Ad perillustrem & amplissimum virum,

J O A N N E M  
M A T T H A E V M  
A W A C K E N F E L S.  
Sac: Caes<sup>ae</sup> M<sup>ti</sup> à Consiliis & Re-  
lationibus Aulicis:

I T E M

Ad clarissimum virum,

R O B E R T V M  
S C H I L D E R V M  
B E L G A M.

**D**VMferor à Pragā per amoeni ad litoris Albim  
Visurus acres Sarmatas;  
Forsitan & Moscos discordem in praelia gentem,  
Et horridum Borysthenem,  
R I Q VI haerens lateri; R I Q VI, flauentia cuius  
Mens cana adornat tempora;  
R I Q VI, cui probitas, candor doctrina, opibusque  
Animus fruendi rectè adest:

Tu mihi WACKERE, tu mihi SCHILDERE (amicus uterque  
Patronus alter maximus)  
In mentem remeatis. Ego aetas suauiter horas  
Doctissimis sermonibus  
Vobiscum recolens, quamuis mihi RQVIVS omnia est,  
Vos attamen desidero  
O quales animas! de nobis quanta merentes!  
O capita mi carissima,  
Vmquam erit illa dies cum arrectis auribus aureos  
Utriusque sermones bibam?  
Mens praesaga boni spondet fore. Spes mihi talis  
Lenimen est desiderI:  
Hac leuius fertur mihi spe leuiusq; feretur  
Quicquid laborum est aut erit.  
At tu, seu magnas dirimentem Caesaris aula  
Lites tenet te WACKERE;  
Sive domi caussas voluendo taedia mille,  
Tibi negans te, deuoras;  
Seu studiis lucis, genium ingeniumq; sequenti,  
Partem dare \* est millesimam;  
Seu conuinuarum mentesq; & corpora pascis  
Ab ore pendentum tuo,  
Mirantum &, quicquid scit natio tota sophorum,  
Reconditum uno pectore:  
Tu quo-

\*Prolicit. Hor.  
Digressi oppi-  
dulo quod ver-  
su dicere non  
est.

Tu quoque, siue iuuat libros euoluere, siue  
Amicum amico SCHILDERE  
Consilioq; operaq; iuuas; seu te tuus heros  
ZVNICA maior virtutibus prior  
Quam genere (etsi illi est genus alto à sanguine regum)  
Sermone docto detinet;  
Si nostri est vobis quoque mens memor (illud amoris  
Sperare me vestri iubet  
In me foecundi magnus modus) omnia solum  
Me possidere censeam.  
Tu verò te dignum affinem WACKERE nostro  
Quaeso salutes nomine,  
Illum inquam quicun transagi suauiter annum,  
Cui nomen \* à pace & Deo est.

\*GOTFRID  
TROIUS AL



Ad Clariss: & Amplissimum virum,

I O A N N E M  
M A T T H A E V M  
D O E B E R L I N V M

III<sup>mi</sup> inferioris Saxoniae &c. Ducis  
F R A N C I S C I Consiliarium.

C A E s a r e à in Pragâ dum D O E B E R L I N e o r u m  
Sodaliū carissime

Credita sollicitâ tu mente negotia tractas  
Fideqz Principis tui;

Et iuuat interdum curas laxare Lyaeo

Quod Rhenus aut Pannon dedit,  
Cum G O L D E I S E N I O docto fidoqz sodali

Tepente in aestuariο;

Forsitan & tenerae iuuat assedisse puellae  
( Fert Praga quales plurimas )

Humida figentem roseis modò basia labris,

Mammas premente dexterâ,

Et modò lacteolo figentem basia collo,

Repente per sinum manu:

Nos ad

Nos ad Sauromatas pugnaces tendimus, anno

Nihil rigente territi;

Et GISHVELIVM superantes, (arua Bohema

Foecunda mons disterminat

A Silesiacis) manibus pedibusq; praealtas

Luctamur aduersum niues.

Tunc, inquis, pedibus, vexit quem currus euntem

Ab urbe magna Caesaris?

Est laxus (fateor) currus, seniq; iugales

\* Armis valentibus trahunt:

Sed dum procedit lento molimine tardus

Inter reluctantes niues;

Pressus & iniusto sub pondere dum gemit axis,

Et talis est vultus rotae

(Densata radios inter niuse) Cynthia qualis

Pleno orbè despicit solum:

Desilio; pedibusq; viam, quae tecta, lacesto,

Sed arduo molimine;

Nam nunc crure tenus medio vestigia figo

Incerta, nunc & altius.

Quod si me adspiceres niubus gelida oscula dantem,

Et auferentem frigida,

Atque farinata exsertantem brachia fossa;

Vix temperares risui:

\*Vergil. Quem  
fese ore ferens,  
quam forti pe-  
ctore & armis?

Si mihi

\* Martial. Si mihi cauda foret, Tritonem dicere posse,  
mihi cauda foret, cercopithe-  
cus eram.

Si mihi cauda foret, Tritonem dicere posse;  
Pars mergitur, pars eminet.

Rara sedet ramis viduatis fronde volucris,  
Et muta & hirta frigore.

Sparsa tegit gelidi sed rara mapalia montis  
Procerapinus; attamen

Nulla hominum apparent vestigia, nulla ferarum:  
Nix occupauit omnia.

A terrâ tollit nimbum terraeq; refundit  
Ruens ab Arctis Aeolus:

Atque volans inter scissi confinia montis  
Maiore saeuit impete:

Nec satis est illi nos inuoluisse pruinâ,  
Ni duplicata saeuiat.

\* Vergil. Loricam consertam hamis glacieque trilicem  
hamis auroque  
trilicem. Pro-  
ximam ultime  
vocem de indu-  
stria mutau-  
muss.

\*Loricam consertam hamis glacieque trilicem  
Ceu promptus in pugnam gero.

Non qui arma Aeneae, non qui fabricauit Achilli  
Chalybum metallis eruta,

Sed ferus aggesta & concreta è gradine cudit  
Haec arma natus Hippota.

Crystallo mihi vincta coma est, crystallina barba  
Subinde tinnulùm crepat.

Nec tamen inuitio fertur labor hic mihi: gratum  
RIQVI facit praesentia:

Illum

Illum ego per flamas, illum per saxa, per undas  
Sequi paratus sum ducem.

Quid quod sensu animum iuuat exercere malorum  
Ad duriora, si qua erunt?

Quid quod visendi cognoscendiq; voluptas  
Redimit ferendi taedium?

Tu mihi, quicquid id est, haeres in pectore fixus,  
In maximis molestiis.

Haec habui qua te lepidissime D O E B E R L I N E  
Nescire nollem, ut sentias

Non nostrum à te animum absenti cum corpore abesse,  
Calere & inter frigora.

Tu quoque, si vires, & tibi nostri in pectore cura  
Resedit vlla; fac malum

Vlciscare bono facundus carmine carmen.  
Potes: Camoenis deditus

Pegaseo hausisti largos de fonte liquores,  
Phoebumq; habes propitium.

Quod superest, G O L D E I S E N I O narrare memento  
Meo salutem nomine:

Atque illo sponsore, illo vade, iter mihi felix  
Pleno precare poculo.

THO-

# THOMAS SEGHE TVS

## Lectori S.

Ne plures paginae vacarent, visum est mihi  
sequens quoque carmen adiungere haud  
absimilis a prioribus argumenti, quod na-  
tum mihi in Rheni ripâ ambulanti, cùm  
per aduersum flumen Francofurtum sub-  
ueherer in Italiam profecturus. Anno  
Christi, cl̄o lo xcvii. Vale olim grauio-  
ra accepture.

**R**Hene pater, tu vitiferis hinc collibus, illinc  
Superbus altis horridisq; montibus  
Incedis; laetusq; tot alluis oppida & arces,  
Tot prata amoena, rura tot, tot insulas.  
Interea absentis nos suspiramus amicos,  
Et indulgere quaerimus doloribus  
Nauim extra soli in ripa, ut Ceycia coniux  
Gemente in acta coniugem fidum gemit.  
Nec iam, fida mihi quondam solatia, libri,  
Nec tincta honestis fabulis conuinia,  
Nec curas etiam solitus laxare Lyaeus  
Grauissimas quidquam adferunt leniminis.

-OHT-

Quod


Quod nisi spes redditus animum defenderet aegrum;  
Suprema nobis ista fulsisset dies:  
Hinc gemitus, illinc lacryma longo ordine pectus  
Oculosq; lassant missio nis inuidae.  
Et gemitus auras repetito verbere difflant:  
Humore salso Rhenus auctior fluit.  
Tu lacrymas Rhene Oceano precor addito; forsan  
Aduolu et illas ille nostro littori:  
Aura uehet gemitus. at nuntia litera & illas  
Et hos, negante Rheno & aura, perferet.

F I N I S.





मृत्युं विद्धि त्वं विद्धि  
विद्धि त्वं विद्धि मृत्युं

विद्धि त्वं विद्धि मृत्युं



८२  
८२/२८





6376  
27

